

hengias for thetta breff. Datum Junecøpung, anno Domini m^ocd^oquarto, feria proxima post festum beati Martini episcopi et confessoris.

504.

1404¹⁾ d. 18 Nov.

Jönköping.

Konung Erik underrättar konung Henrik den fjerde i England om att de sändebud, som till den senare afsändts, blifvit af storm hindrade att afresa, men att de nästkommande vår skola anträda färden, samt uttrycker sina förhoppningar om att hans brud, prinsessan Philippa, måtte omedelbart derefter kunna resa öfver till de förenade rikena.

Hingeston: Royal and Hist. Letters during the reign of Henry the Fourth, s. 409—411. (Efter original).

Invictissimo principi Henrico, Dei gratia regi Angliæ et domino Hiberniæ, fratri nostro, immo patri carissimo, Ericus, eadem gratia regnorum Daciæ, Sweciæ et Norwegiæ, Slavorum Gothorumque rex ac dux Pomeranensis, salutem et inchoatæ dilectionis continuum in Christo domino incrementum. Serenissime princeps, pater carissime. Pro amoris plenitudine gratuiti nobis per vestram regiam celsitudinem, non paucis vicibus et specialiter in novissime vestris nobis transmissis litteris exhibiti et ostensi, vobis admodum astrictos claro nos cernentes intuitu ad eas, quas valemus gratiarum assurgimus actiones, jam dictæ vestræ celsitudini significantes quod dilectus noster Petrus Lucke, archidiaconus Roskildensis, impediens ipsum in reditu suo de Anglia tam in mari quam in terra guerrarum disturbiis ac etiam ventorum contrariorum impulsibus, ad nostram præsentiam in regno Sweciæ antequam circa festum assumptionis beatæ virginis cum litteris et responsione sibi per vestram regiam magnificentiam traditis non devenit, quibus per nos læta manu receptis et sane intellectis in nulloque a relatione sibi, ut asseruit, per vestram commissa regiam majestatem discrepantibus, incontinenti pro ambassiatoribus nostris pro facto illo versus Angliam ituris fore mandavimus transmittendum, qui, certis de causis, in nostris et trium regnorum nostrum negotiis hinc inde occupati, antequam circa festum sancti Michaelis immediate jam transactum convenire nullo modo potuerunt, quibus in unum congregatis, pro viagioque suo paratis, accessum versus Angliam continue venti contrarietas eatenus ademerat.

Præterea, inclitissimæ vestræ regiæ majestatis censuimus declarandum quod si, fauente illo, cui uenti obediunt et mare, ipsis nostris ambassiatoribus in brevi ad vota venti arriserit opportunitas, toto se apponant conamine ad vestram celsitudinem visitandum.

Si vero ipsos arrestans induraverit brumalis sævitia, quanto citius post futurum mensem Februarii dissolvantur glacies ad præsentandum se vestræ regiæ magnitudini omnem quam poterint adhibebunt diligentiam pro inchoati inter nos

¹⁾ Årtalet, som saknas i detta och de två följande handlingarna, finnes hos Hingeston riktigt angifvet såsom år 1404. Mot slutet af detta år vistades konungen i Jönköping; den 19 Nov. utfärdade han derifrån en anhållan, stäld till konung Henrik, om att några borgare från Aalborg måtte få ersättning för den förlust de lidit då de plundraades af engelska sjömän. (Tr. hos Hingeston, l. c.) Den 8 Dec. följande år lemnade konung Henrik intyg om att Petrus Lykke aldrig under den tid han då vistats i England begärt eller erhållit något underhåll. (Tr. i Rymeri Foedera, IV, s. 92 och Pontoppidan: Annales eccl. Dan. II, s. 388.)

utrimque negotii votivo complemento, nec hæsitamus, pater carissime, quin eisdem nostris ambaxiatoribus de salvo conductu pro vestris in mari et in terra, tam in exitu quam in reditu suo versus nostram præsentiam, mandare velitis secure provideri. Ea propter, pater carissime, sublimitati vestræ declaramus quod, quemadmodum nobis eadem tam per litterarum vestrarum seriem, quam per vivæ vestræ vocis oraculi relationem, præfato archidiacono [Roskildensi] mandastis, sic adventum filiæ vestræ carissimæ dominæ Philippæ nobis, annuente Domino, in vxorem tradendæ, in jam proximo futuro mense Maii, gratanti animo perscolari velimus. Hinc est quod prælibatam vestram celsitudinem summa exoramus instantia quatinus eadem cum effectuali exsecutione sic disponere dignetur, ut antedicta vestra filia ad nostram præsentiam in proximo futuro mense Maii, nobis in litteris vestris assignato, transmittatur, nec dilationem ulteriorem, pater carissime, interponere velitis, quoniam ipsa prout vestra excellens considerare novit industria, nec nobis nec regnis nostris hincinde quidque proficui poterit importare. In præmissis igitur disponere dignetur vestra regia sagacitas, prout inde verisimiliter properari poterint honoris Dei accrescentia, regnorumque et amicorum nostrorum utrobique gloria, robur et lætitia singularis.

Et quamvis nonnulli sunt partis utriusquæ æmuli, quibus hujusmodi facti complementum summe displiceret oppositumque placeret, nihilominus tamen in Domino sperandum est quod neuter nostrum hujusmodi invidis æmulisque latentibus mentem sic apponat, quod ipsorum sinistra desideria sui et regnorum suorum profectibus anteponat.

Et quia pro præsentem prædictum archidiaconum, vestræ gratiæ dirigi consuetum, non transmittimus, ex eo est quod ipsum in aliorum nostrorum ambaxiatorum comitiva vestræ dilectioni dirigere proponimus, Altissimo largiente. Nec prætereundum nobis est silentio, pater carissime, quanta benevolentiæ munificentique gratia eundem singulis vicibus, quibus in Anglia fuerat, vestra respexit regia magnificentia, cui et merito nos exinde ad condigna gratiarum rependia decernimus obligatos, corde ex intimo exorantes Altissimum ut statum vestrum regnorumque vestrorum propere de bono in melius augeat et exaltet.

Datum in villa nostra Junecopensi, octava beati Martini, videlicet mensis Novembris die xvij, nostro sub secreto.

505.

1404 d. 18 Nov. ¹⁾

Jönköping.

Konung Eriks sändebud till engelska hofvet, Augustinus, biskop i Oslo, riddaren Thure Benkts-son och erkedjeknen Petrus Lykke, underrätta konung Henrik IV i England, att de alltsedan den 29 Sept. varit beredde att till honom öfverfara, men att de nödgats afvakta gynnsammare vind, och måhända måste qvardröja i Sverige till nästkommande vår.

Hingeston: Royal and Hist. Letters during the reign of Henry the Fourth. s. 406—407. (Efter original, skadadt.)

Invictissime [Princeps]

Humillima nostri recommendatione vestræ regiæ majest[ati sig]nificamus nos continue post jam proxime præteritum festum sancti Michaelis, [transire versus

¹⁾ Se noten till N. 504.